



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XX. Alexandri Papae III. Ad Lvdovicvm VII. Regem Francorvm. De legatione per Franciam Thomae archiepiscopo Cantuariensi commissa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

valeas. Hoc vero transcriptum nulli mortalium reueles,
nisi soli magistro Gunterio, quia fidem meam super hoc
magistro Galtero ita stricte, ut voluit, dedi.

EPISTOLA XX.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD LVDOVICVM VII. REGEM FRANCORVM.

De legatione per Franciam Thomæ archiepiscopo
Cantuariensi commissa.

*Alexander seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Ludo-
vico illustri Francorum regi salutem & apostolicam
benedictionem.*

INTER cetera magnificentia tuæ & deuotionis insignia,
illud specialiter animum nostrum vehementer accen-
dit, quod venerabilem fratrem nostrum Thomam archi-
episcopum Cantuariensem, virum siquidem religiosum,
discretum pariter & honestum, & nobis & vniuersæ ec-
clesiæ Dei carum omnimodis & acceptum, & tot & tantis
honoribus præuenisti, & ei tam ampla & tam magnifica
humanitatis beneficia regia munificentia dignatus es lar-
gius erogare. Super quo vtique serenitati tuæ quantas &
quas possumus gratias exhibemus, & clementiam tuam
exinde immensis in Domino laudibus commendamus; id
sicut Deo, cui hæc potius in persona illius fecisti, gratissi-
mum, ita nobis acceptum putantes, tamquam si hoc per-
sonæ nostræ specialiter impendisses. Et quoniam eiusdem
archiepiscopi pacem totis cordis affectibus exoptamus,
dilectos filios nostros Vvilielmum tituli sancti Petri Ad
vincula, & Oddonem sancti Nicolai in carcere Tulliano
diaconum cardinalem, ad carissimum in Christo filium
nostrum Henricum illustrem Anglorum regem duximus
destinando, vt inter eumdem regem & prafatum archi-
episcopum ad vtriusque honorem pariter, & perfectam
concordiam, & pacem, Domino cooperante, reformat;
& in ipsius regis terra transmarina causas emergentes au-
diant & cognoscant, & ibidem apostolicæ sedis legatione
fungantur.

Eapropter magnificentiam tuam per apostolica scripta
rogan-

rogando monemus, & exhortamur in Domino, quatenus pro ecclesiæ Dei reuerentia, & honore beati Petri, & nostro, apud iam dictum regem & archiepiscopum partes tuas efficaciter interponas, & studiosius elabores, quod ad honorem Dei & ecclesiæ, & sui etiam commodum & augmentum, amicabiliter inter se & pacifice conueniant: & ad hoc animos & voluntates suas, salua ipsius archiepiscopi & ecclesiæ honestate, omnimodis inclinent. Quod si per studium iam dictorum cardinalium & laborem & operam tuam pax inter eos & concordia poterit reformari, ecclesia, quæ tuo post Deum est specialiter adiutorio fulta, non modicum inde suscipiet incrementum; & tu ab omnipotente Deo in illa felici retributione iustorum speciale propter hoc præmium obtinebis. Si autem (quod Deus auertat) conuenire non possint, dummodo regiæ voluntati federet & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret, & gratum valde existeret & acceptum: quod si absque graui scandolo personarum regni tui fieri posset, ut nos prænominatum archiepiscopum specialis honoris prærogatiua inter ceteros donaremus, & sibi vices nostras committeremus in illis partibus exequendas. Vnde serenitatem tuam quanta possumus prece rogamus, ut si pacem, salua honestate sua, & ecclesiæ, quod omnimodis optaremus, habere non possit, nobis super his voluntatem tuam sub omni celeritate studeas intimare. Et hoc interim habeas omnino secretum.

EPISTOLA XXI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVIELMVM ET ODDONEM LEGATOS.

Vt pro bono ecclesiæ reges Francorum & Angliae concordentur, & in Anglia de statu regni & ecclesiæ sine scitu Thomæ Cantuariensis nihil agant.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo sancti Petri Ad vincula presbytero, & Oddoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apostolicæ sedis legatis, salutem & apostolicam benedictionem.

QVANTA vniuersæ Dei ecclesiæ, & præsertim Romanæ & orientali, detrimenta & incomoda ex discor-
Concil. Tom. 27.

L1